

# ΔΕΛΦΙΝΕΣ.

## DELPHI- NES.

Q Vo me Nereides , salis  
Et sæui timidum maris,  
Infidi super ardua  
Ponti dorsa vocatis?

In quæ faxa perennibus  
Spumis squallida ducitis?  
In quæ me sacra nescium  
Insolentia fertis?

O dulces Heliconides,  
O fontis Clarij liquor,  
O lauri , ô latices , mea  
Quondam cura valete.

A 2



D E L P H I N E S.

Me formosæ alio vocant  
Ponti numina NAIADES,  
Et vestras mihi gemmeo  
Mutant Torque coronas:

Et baccas Adamantibus,  
Et roseta Topazijs,  
Et myrtos, & amabiles  
Auro diuite lauros.

En iam squammiferos mihi  
Gens Tritonia PEGASOS,  
Qui super liquidi vehent  
Ponti cærula, froenant.

Agnosco pecus, & sacros  
Neptuni patris alites,  
Et simum caput, & leues  
Super fulmina pinnas.



Saluete Oceanitudum

O DELPHINES amantium  
Nuntij, ô mariſ aureis  
Qui regnatis in aulis.

Saluete, & placidum leues  
Dorsum subijcite, & bene  
Securi, trepidum mari  
Toto ferte poetam.

Is vobis sua carmina  
Vehendi pretium dabit,  
Et vos lucida versibus  
Inter astra reponet.

DELPHINIS etiam vetus  
Cum cantoribus est amor:  
Et vobis lepidi placent  
Surdo in æquore cantus.

DELPHINES.

Vos tergo facili pium  
Excepistis Arionem:  
Cum mortem sibi nauitæ  
Minarentur acerbam.

Ibas Lesbon eburneo  
Diues pectine, & inclytâ  
Partas arte pecunias  
Graui naue ferebas.

Iam longe tibi linteâ  
Lenes impulerant Noti,  
Et felix placido procul  
Ibat æquore nauis.

Cum circumstetit, ah feris  
Magis perfida fluctibus  
Nautarum manus, & minax  
Aurum promere iussit,

Aut ferro iugulum dare.

(Dijquorū imperiū est mari,  
Talem auertite, dij quibus  
Cordi carmina, pestem.)

Quid vates faceret miser,  
Et tristi gelidus metu:  
Non ego mihi, nauitæ,  
Mortem deprecor, inquit.

Hoc tantum liceat, graui  
Lyram tangere pectine,  
Et prius miseram queri  
Breui carmine mortem.

Dixit, & nitidum sacris  
Caput frondibus induens,  
Argutas eboris fides  
Plectro tangere cœpit.

*DELPHINES.*

Quales purpureus gemit  
Cantus dū moritur Cycnus,  
Et vitam, simul & sonum  
Vno gutture fundit.

Tales ad cytharam senex  
Arion cecinit modos,  
Et surdos lacrymabili  
Mulsit carmine fluctus.

Nec vobis tamen impij  
Mentes edomuit feras,  
Quin vatēm & cytharā vagas  
Impulistiſ in vndas.

At vos cærulei maris  
Ciues parcite, parcite  
O DELPHINES, & hospiti  
Mites este poetæ.

Sed ecce ut placidus iugum  
 DELPHIN supposuit seni,  
 Ponderique benigniter  
 Se subiecit amico.

O sacrum Clario, choris  
 Sacrum Castalijs, pecus!  
 Vos DELPHINIA scilicet  
 Phœbo festa vocatis.

Et DELPHINIVS Atticis  
 Diui mensis Apollinis  
 Nuncupatur; & arduis  
 Forum nobile cauissis.

Hoc primum pauidus stetit,  
 Et IVRE, & MERITO, reus  
 Fusi sanguinis, ausus est  
 Causam dicere Theseus.

*DELPHINES.*

Ex illo quoties nocens  
Factam fassus erit necem,  
Sed necem volet innocens  
FACTAM IVRE tueri.

Ad DELPHINIA se reus  
Rostra fistat, apud pios  
DELPHINAS dabitur reo  
Inuenire salutem.

Sic & nauifragos mari,  
Sic & nauifragos foro,  
DELPHINES miserabili  
Sæpe à funere seruant.

O rebus dubijs amans  
Humani generis pecus!  
Vos, cum primitus horrido  
Fremit murmure pontus:

Et rixas animo coquunt  
 Fratres Æolidæ graues,  
 Nautas Hoc AGERE, & probe  
 Nauim armare, monetis.

Nam simul tremulis mare  
 Crispat fluctibus, & nigram  
 Tempestas hyemem ferens,  
 Salsis incubat vndis.

DELPHINES super arduos,  
 Saltu se volucri ferunt  
 Malos ; & dubio leues  
 Ludunt æquore pugnas.

Agnoscunt etiam piam  
 Nautæ, gens mala, gratiam  
 Nec DELPHINIUS vspiam  
 Tendunt retia sanctis.

*DELPHINES.*

Quin si forsitan in cauas  
*DELPHIN* inciderit plagas,  
Parcunt: nec dapibus sibi  
Foedant ora sacratis.

Quisquis est, temeraria  
Qui pisces tetigit manu,  
Is esto facer: is graues  
Diuum sentiet iras.

Nec vero miser, arduo  
Ausit credere se mari:  
*DELPHINES* socij necem  
Vlciscentur acerbam.

Namq; aut plurima noxium  
Inter millia feligent,  
Aut scelestiueham vago  
Mergent æquore nauem.

Sed quis Nereidum facros  
Scelestus violet greges,  
Quorum nota perennibus  
Viuet gloria chartis.

Nam nulla aut pelago natat,  
Aut solo graditur fera,  
Quæ vel ingenio magis,  
Magis polleat usu.

DELPHINEM implicitum semel  
Nexis cassibus expedi,  
Idem non iterum tuas  
Cadet cautus in artes.

At vos stagnicolas quibus  
Venari Cephalos placet,  
Ad prædam socios quater  
Inuocate SIMONES.

DELPHINES.

Vobis protinus exciti  
DELPHINVM venient greges,  
Et crebros caua mugiles  
Intra retia cogent.

Quæ gens nescit Ionios,  
Et gestos Lybico mari,  
Et Græcos, & Iasios  
Non audiuit amores?

Forte cum furit igneæ  
Atrox hora caniculæ,  
Et passim Erigoneïo  
Terra finditur æstu.

Ad littus stetit aurea  
Formosus puer in coma.  
Iam nudat sibi candida,  
Membra lactea veste,

Vt puro lauet æquore.

Iam terram fugiens procul  
Peritâ fluitantia  
Secat marmora dextrâ:

Cum DELPHIN niueum videt  
Natantis pueri decus,  
Et miratur amabilem  
Caſtæ frontis honorem.

Miratur Veneres, ſinu  
Quæ ludunt in eburneo.  
Et miratur, & æquore  
Totus pifcis in ipſo

Ardet. nec mora candidum  
Amans ad iuuuenem natat,  
Et blando placidè parat  
Se ſupponere mento.

DELPHINES.

Certè principio feram  
Incautus puer horruit,  
Et tutam celeri fuga  
Cœpit quærere ripam.

Quo pergis malefanus, &  
Amantem fugis insequam?  
Non informia te, maris  
Sæui monstra, sequuntur.

Sed mitis fera, quam vagi  
NEPTVNVS maris arbiter,  
Quam falsi virides amant,  
Ponti numina, NYMPHÆ.

Siste candide, nec feram  
Sperne pulcher amabilem:  
Quin admitte leuē, & mari  
Tutus lude profundo.

Viden' vt placido sedet  
Securus animi puer  
In DELPHINE, nec horridi  
Pallet murmura Ponti?

Viden' vt liquido procul  
Lætus ludit in æquore,  
Et beatus amabili  
Gaudet pondere DELPHIN?

O amor nouus! ô nouum  
O par nobile amantium!  
Non est qui male conscos  
Vobis turbet amores.

Sed caue puer, ah caue,  
Neu incumbe licentius  
DELPHINO, latus horridâ  
Squallet vndique pinnâ,

*DELPHINES.*

Quæ lato tibi, ni sapis,  
Rumpet ilia vulnere,  
Quæ dura, teneros tibi  
Morte, rumpet amores.

O sortem nimis asperam!  
Infelix nimium puer!  
Tali ten' decuit breuem  
Vitam claudere fato?

Saltem frigida littori  
*DELPHIN* membra reponito,  
Et moesto miserabile  
Corpus redde sepulchro.

Vt totum rubeo videt  
Foedari mare sanguine;  
Et diram pueri necem  
Ipso pondere sentit:

Ah dolet miser, & fcelus  
Vlcisci parat insolens,  
Mori destinat, & pari  
Mortem soluere morte.

Ergo remigio citus  
Ad ripam celeri volat,  
Et mærens lacrymabilem  
Terrâ ponit amicum.

Quin & cæruleis salit  
Amens fluctibus, & mori  
Certus, ad tumulum iacet  
Duri victima amoris.

Ex illo volitans Amor,  
Hac florem gerit in manu,  
Hac DELPHINA, quod imperet  
Rex TERRAQUE MARIQUE.

*DELPHINES.*

Vos Laertiades graui  
Descriptos clypeo tulit,  
Signum argenteus, Hercul  
Fuit nobile, **DELPHIN.**

Quod Taram, quod Ionio  
Lapsum Telemachum mari  
**DELPHINI**, & Lacedæmonē  
Seruauere Phalanthum.

Vobis Isthmia Doricis  
Luduntur sacra curribus,  
Seruatique Palæmonis  
Dependuntur honores.

Vos & curriculi aureos  
Habet carcer Olympici,  
Et Flaminius aspero  
Sectos marmore Circus.

Vos & Tiberius ferox,  
 Et Augustus amabilis,  
 Et Vitellius, aureis  
 Impressere monetis.

At te quid memorem sacrīs  
 Mitem Cœrane piscibus?  
 Quos grandi pretio luis,  
 Liberōsque remittis.

Sed non hæc tibi, ne time,  
 Peribit malè gratia,  
 DELPHINI memores bonum  
 Gratiāmque rependent.

Nam cum quassa furentibus  
 Ad littus Parium Notis,  
 Tumētē hauriet hinc & hinc  
 Nauis vndique pontum:

11 DELPHINES.

Te sæuo eripient mari,  
Et qua Dulichiæ iacet  
Zacynthi specus , arduo  
Tutum littore sistent.

Quin & Cæranijs dabis  
Nomen nobile fluctibus.  
Cum vero tibi ferrea  
Mortem ruperit hora:

Frequentes aderunt pio  
Iusta soluere funeri ,  
Et mœstum lacrymabili  
Tingent æquore bustum.

Sed quid funereos procul  
DELPHINVM video choros,  
Et longe lacrymantium  
Sonos audio vocum?

Ah letho datus, ô dolor!  
Effertur pueris pater:  
DELPHINES sua mortuo  
Soluunt iusta parenti.

En ut flebile littori  
Corpus ad tumulum ferant.  
Tu siste, & TENVEMINI  
O viator ARENA M.

Hoc tantum. geminos prius  
Dentes deme cadaueri:  
Cum puer tibi dentiet,  
Collo appende, iuuabunt.

Quin rudi corium menor  
Tergo detrahe, scilicet  
Cum te fors super ardua  
Maris terga vocabit,

DELPHINES.

Ex ilio facilem tibi  
Vtrem consue tergore:  
Quem voles, tibi protinus  
Pellet linteal ventus.

Sed tacete loquacia  
Vatis carmina, parcite  
DELPHINO tenues rudi  
Sono rumpere somnos.

Audin' vt patulis procul  
Rhonchissat fera naribus,  
Et se vel mediā mouet  
Inquieta quiete?

Nam DELPHIN male sordido  
Stare nescit in otio.  
Sed graues simul vt quies  
Forte oppressit ocellos:

Summo

Summo se statuit mari,  
Et somnum placido capit  
Lapsus turbine, dum rudes  
Fundo tangat arenas.

Mox lapsu vigil, arduo  
Rursum tollitur æquore,  
Vt rursum placido cadat  
Captus lumina somno.

Nec te cæruleum caput,  
Nec te forma, nec asperis  
Tergum sentibus horridum,  
Nec frons squammea fallat.

Humanos etenim gerunt  
Sub squammis animos, fero  
Humanas, ita creditur,  
Gerunt pectore mentes.

DELPHINES.

Cum Naxon Semelius  
Tyrrheno peteret mari,  
Nec tantum puerो foret,  
Vnde solueret aurum.

Ad Iyram Phrygios, manu  
Imbelli cecinit modos,  
Et gratus facilem facio  
Soluit carmine nedium.

Hoc primum cedinit, quibus  
Neptunum iaculis amor  
Confixit: quibus abdita  
Amphitrita cauernis.

DELPHINES cedimic viæ uH  
Amanti Dominos dices:  
Et tædas Hymeneio miH  
Festas carmine, dixit.

Vix nauæ cupidis sacrum  
 Carmen auribus hauserant;  
 Cum bacchantur amabili  
 Icti pectora Thyrso,

Et suauem medio mari  
 Fuorem madidi furunt,  
 Nec leues dubitant truci  
 Se demittere ponto.

At iuuâ pater, & tuos  
 Serua Nysie nauitas:  
 Næc saeuos miseris sine  
 Vitam extingue flatus.

Sic est, & Bromius viris  
 DELPHINVM speciem dedit,  
 Mutavitque fugacibus  
 Tarda brachia pinnis.

*DELPHINES.*

Et squamini caput, & genas,  
Et dorsum, viridantibus  
Asperauit, & incitâ  
Costas vestijt alâ.

Ex illo celeres vago  
*DELPHINES* volitant mari,  
Et toto cupidi suam  
Quærunt æquore nauim.

Nec prius sonuit foris  
Vox audita frequentibus,  
Quàm festas agitent leues  
Ante rostra chorcas:

Vt dulces audi bibant  
Cantus auribus, & suam,  
Sic putant, cupidi ratem  
Vsque & vsque sequantur.

Viden' vt placidi choris  
Conuenere frequentibus,  
Et nostri quoq; carminis  
Audiuer leporem?

Sed quid, quod medijs micat  
DELPHINVM legionibus  
Coronatus, & aurea  
Præfert lilia DELPHIN?

Agnosco procul ImperI  
Signa candida Francici:  
Agnosco procul aurei  
Signa candida regni.

O felicia Gallicis  
Cœli numina gentibus!  
O beata potentibus,  
Beata omina Francis!

DELPHINES.

Ergo candidulum pio  
DELPHINEM peperit patri  
Thusca NEREIS, & noua  
Regnum prole beauit?

Ergo Borbonidem tulit  
Augusta puerum domo,  
Qua pellucida regis  
Fontis voluitur vnda.

Ergo consilio D<sup>e</sup>rum  
TETHYS Itala regiam  
HENRICO sobolem dedit,  
Galliaeque parentem.

Salve candide Francici  
DELPHIN æquoris, aureas  
Sis feliciter ortus in  
Nostris luminis oras.

Tu quondam, puerō simul  
 Ætas creuerit, aequora  
 Felici moderaberis  
 Gallicana TRIDENT.

Tu pro gente ferocibus  
 Indices sacra prælia,  
 Seu turbant pelago leues,  
 Seu tellure, Britannis.

Hispanoque minacia  
 Franges cornua militi,  
 Seu te, seu socialia  
 Ferox arina lacessit.

Sic DALPHIN placidum pecus  
 Furit pro catulis mori,  
 Et venabula ferreâ  
 Dira cuspide ridet.

**D E L P H I N E S.**

Tu potens Othomannicis  
Cædes terga fugacibus,  
Et fædabis Ionias  
Turco sanguine ripas.

Sic D E L P H I N medio mari  
Hostes squamiferos potēs  
Passim mactat, & horridâ  
Miscet æquora clade.

Tu cursu celer incito  
Nunc in Africa nobiles,  
Nunc in littora proferes  
Palestina , triumphos.

Nunc bellator ad Insulas  
Vertes signa Brasilidas,  
Nunc victor medijs , seres  
Pulchra lilia , Parthis.

Sic DELPHIN celer omnibus  
Memento volitat fretis :  
Atque hos, atque alios secat  
Pinna præpete fluctus.

Tu fortes facili reges  
Francos imperio senex,  
Et quo laurigeræ vocant  
Pacis otia, duces.

Sic DELPHIN teneros comes  
Profundo sequitur mari:  
Nec charam patitur, procul  
Se, discedere prolem.

Tu post prælia Musicâ  
Tractabis cytharam manu,  
Et Musis, & Apollini  
Esse charus amabis.

VI DELPHINES.

Sic mutos lepidis ferunt.  
DELPHINAS fidibus capi,  
Et curuo Philomelidas  
Sæpe admittere dorso.

Saluete o liquidi, leues  
DELPHINI, maris incolæ,  
Saluete, & bene viuite  
Hoc DELPHINE beati.

Salve tu quoque Francici  
DELPHIN æquoris, & tuo  
Vitales face viuere  
Hos DELPHINAS honori.

At cum Cæsareos tibi  
Romanus Pater, & sacri  
Senatus Capitolij  
Destinarit honores,

AUGVSTVMQVE vocauerit,  
 Biformes aquilas iace:  
 Et DELPHINAS in arduis  
 Iube stare maniplis.



## CORONAE.

O Dulces Heliconides,  
 O magni soboles louis,  
 O Musæ, o si ALIO MAGIS  
 PLACET NOMINE DICI.

Seu vobis volupe est, polo  
 Molles ducere, seu solo,  
 Qua pictum vario micat  
 Pratum flore, choreas:

CORONAE.

Intactos mihi candidæ  
Flores sufficite, AVREAS  
Dum textis paro versibus  
Coronare CORONAS.

Nam vobis etiam hoc opus,  
Hoc olim studium fuit,  
Heroum in capita inclytas  
Implicare CORONAS.

Sed quis primus amabili  
CORONA caput impedit?  
Quis primos DOMINI feret  
INVENTORI s honores?

Nam nec prima briuerticem,  
Ianum crediderim, neque  
Catum prima Prometheū in  
Terras ferta tulisse.

Non mortalibus hoc opus,  
Non vni ferimus Deo:  
Sed donum fuit omnium  
In commune Deorum.

Nam cum terricrepis furens  
Per inania fulgetris  
Castra Iuppiter in fugam  
Gigantæa dedisset:

Minantesque minantibus  
Montes montibus additos  
Deiecisset, & impios  
Malo more rebelles.

In Pyriphlegetontias.  
DEPORTARIER insulas  
Edixisset, & horrido  
Ditis carcere claudi.

CORONAE.

Tunc primum vnanimes Dei,  
PRO GESTA BENE RE, Ioui  
VLTORI bene candidam  
Obtulere coronam.

Immortalibus insolens  
Ornatus placuit Deis,  
Et dios oculos suo  
Sic incendit amore.

Nusquam ut cœlicolum sacro  
Interesse Senatui,  
Aut cœsis epularier  
CENTVM-BOBVS amarint.

Aut iustas hominum preces  
ANNOTARE rogantium:  
Ni circum caperet caput  
Immortale CORONA.

Inde, nunc viridantibus  
Gaudet tempora laureis  
Phœbus, nunc radiantibus  
CORONARE Pyropis.

Inde, ferta sequacibus  
Conserta ex hederis tibi,  
Nec minus tibi laureæ  
Placent Bacche CORONÆ.

At te Iuno sororia-  
Coniux pampineæ iuuant,  
Te frugum Dea, spiceæ,  
Isidemque CORONÆ.

Cypris mollia tæniâ  
Sibi tempora myrtleâ:  
Pallas tempora pallidâ  
CORONAVIT oliuâ.

*CORONAE.*

---

Augustum sibi gemmeo  
Neptunus diademate  
Ornauit caput , aureâ  
Diues Pluto **CORONA.**

*Vt POMONA rubentibus*  
*Pomis tempora: sic decens*  
*Odorum sibi floribus*  
*Caput Flora **CORONAT.***

Oliuaster *Olympicus*  
Victori placet Herculî,  
Aut nexæ ex apio placent  
Populôve **CORONA.**

Vos florentia candidi  
Veris dona , Heliconides,  
Et stellata recentibus  
Rosis ferta **CORONANT.**

Sed quo pompa precantium  
Victimaria supplicum  
Procedit redolentibus  
Infulata CORONIS?

Quo se linigerum pij  
Ferunt sacrificum chori,  
Cincti tempora laureis  
Cincti colla COROLLIS?

Sed quod dicitur aureis  
Decens hostia tænijs?  
Quid circum varijs viret  
Altar pingue CORONIS?

Ad magnos adeunt deos,  
VT PACEM AC VENIAM petant.  
Et vim supplicij in suis  
Ponunt, spemq; CORONIS.

CORONAE.

Tantum scilicet optimis  
Solæ cœlitibus placent,  
Et dant supplicibus, DOMINA  
Gratis esse CORONA.

Cum quondam superi suis  
Ornassent auidè bonis  
Pandoram, nequedū tamen  
Dijs Pandora placeret.

Vos gratis, Charites, rudem  
Afflauistis honoribus;  
Vinxistisque decentibus  
Caput molle CORONIS.

Sic cum nec superis fatis  
Placerent sua munera:  
Gratiosa dedit decus,  
Et placere CORONA.

A T te quis tacitam finat,  
O quæ purpureum mei  
Cinxisti domini caput,  
Acri spina C O R O N A ?

Audacis temeraria  
Cœpti desine , nec D E I ,  
Voce spurcidicâ , sacram  
Tracta Musa C O R O N A M .

Olim fortè , sonantius  
Cum carmen tibi creuerit,  
S A N C T A M carmine fas erit  
Adorare C O R O N A M .

Nunc ista ad citumq; euocant  
Te solennia principum  
Ornamenta potentium,  
Victorūmq; C O R O N A E .

C O R O N A E.

Terrarum dominis caput  
Candens fascia regibus  
Nubfit , post etiam aureas  
Admisere C O R O N A S.

Et quos Roma potens patru<sup>r</sup>  
Consulto sapientium  
R E G E s sciuerat , auream  
Dabat Roma C O R O N A .

Siue maxima Olympia ,  
Siue Pythia vicerat ,  
Siue vicerat Isthmia  
Pugil , seu Neimeæa.

C O R O N A M fibi nobilis  
Auferebat , & inclytâ  
Ornabat patriam domum ,  
Patriamque C O R O N A .

Nec caput modo, sed graues  
(Quod mirū foret omnibus)  
Victoris pugilis manus  
Cinxit Pisa C O R O N I S.

Qui rem cumque Quiritium  
Heroum bene gesserat:  
Simul contuderat feros  
Fæda clade duelles:

Circum tempora laureâ  
Cingebatur A D O R E A,  
Micabatque decentibus  
Festa Roma C O R O N I S.

Quisquis obsidianum  
Vires soluerat hostium,  
Sibi gramineam tulit  
Puro è cespite fertam.

CORONÆ.

Mitalem sibi, qui prior  
Impancrarat in hosticæ  
Vrbis mœnia, Ciucam  
Saluto ciue CORONAM.

Qui primus fugientium  
Fossa irruperat hostium,  
Castrensem : sine sanguine  
Qui vicisset, Oualem.

Quem sors cumque bibacibus  
Strategum faceret scyphis  
Insignem tulit ebria  
Inter bella CORONAM.

Caput læue recentibus  
Festo more Quiritibus,  
Et sponsis, virides caput  
Ornauere CORONÆ.

CORONA M̄ tristit, vnius

Quæ post funera consurgis,  
Infido verita est ratem  
Rutulis credere Ponto;

Vitâ cassa caddautra,  
Et defuncta periculis,  
CORONATA inamabilis  
Extulere feretto

Cui cestò sapientiam mutans  
Incessa soluit Venus;  
Et illi sua soluitur  
Sua sponte CORONA.

Vel Lacon viridi caput  
Cingi gaudet arundine,  
Sic Carem & Samium salex  
Amerina CORONAT.

*C O R O N A E.*

Galli interrita pectora,  
Quondam nil veritum caput.  
Armauere vircentibus  
Inter bella C O R O N I S.

Potentes opibus Macæ,  
Et felix Arabum genus,  
De comâ sibi pendulam  
Totondere C O R O N A M.

Quantum est vndique gentium  
Terræ terga terentium,  
Nullæ non sibi floreas  
Texuere C O R O N A S.

Quis vero aut hominū aut deū  
Non amet sibi mollia  
Circum tempora mollibus  
Inumbrare C O R O N I S?

Cum

Cum toto nihil vspiam  
Exstet orbis in ambitu,  
Non insigne decentibus  
Vndiquaque C O R O N I S.

Cœli (quâ sibi stellea  
Dij fodere palatia)  
Totum hoc omne decēplici  
Sepiuere C O R O N A.

Cœlos aurimicantibus  
(Cùm primū creperā nigris  
Nox alis operit diem)  
Cingunt astra C O R O N I S.

Ignis aëra frigidum  
Flammis innocuis : aër  
Pontum spiritibus : Mare  
Terram humore C O R O N A T.

C O R O N A E.

At te candida gentium,  
Potens Marti-furentium,  
O Regina, ô v n i c o  
Gaudens Francia R e g e.

Hinc vtrumque sonantibus  
CORONAT mare fluctibus,  
Hinc Alpina iuga, hinc iuga  
Pyrenæa C O R O N A N T.

Sed mage & mage fortium  
Cinctus nobilis vrbium,  
Et mille oppida , milite  
Forti foeta C O R O N A N T.

Qualis fertur in horridis  
Incessisse Leonibus,  
Murali Berecynthia  
Caput cincta C O R O N A.

Talis FRANCIA fortium  
 MATER MAXIMA Principum  
 Turrem caput arduis  
 Semper inferet astris.

Apparet venerabilis  
 Sumimā in fronte LUTETIA,  
 Et quæ Palladio magis  
 Amat nomine dici,

Potens mœnibus, ambitu,  
 Portis, gymnaſijs, foris,  
 Delubris, Capitolio,  
 SENATUQE, TOLOSA.

Sed nec defit honos tibi  
 CORONARIUS, ô pia  
 O TOLOSA potentibus  
 Vrbs gratissima diuis.

C O R O N A E.

Nam te regificā, senum  
ORDO AMPLISSIMVS, & Patrū  
SENAT VS sapientium,  
Majestate C O R O N A T.

Felices, quibus & sua  
Tradit sceptrā Diespiter:  
Felices, quibus & suas  
Tradit Musa C O R O N A S.

Nam quicquid vacuo potest  
Magnus Iuppiter æthere,  
Vos terris itidem genus  
In mortale potestis.

Vos magnæ sola Franciæ,  
H V M A N I regitis I O V E S:  
Et prænobilis imperI  
Latè fræna tenetis.

Vos edicta modò in reos  
PEREMTA LIA mittitis,  
Nunc tantum MONITORIIS,  
Consultisque tonatis.

Vos alto è folio , pijs  
Ius æquum populis datis:  
Aeternasque nepotibus  
Leges scribitis æuis.

Grati ditia negotij  
Define Aonis ; & tuis  
Tandem versibus , AVREAM  
Hic impone CORONAM.

SEd quid Musa, quod intuor  
Puro lumine Francicam,  
Felices radios procul  
Effudisse CORONAM?

CORONAE.

Fallor, an mediâ micat  
Ardens luce CORONVLÆ?  
Et nostras proprius venit  
Illustrare CORONAS?

Agnosco procul aureas  
Lucis BORBONIÆ faces.  
Et Francæ video decus A  
Immortale CORONE.

Salue candida, quæ caput  
Thvsc o tollis ab æquore.  
Et pulchros nitido facis T  
Dico ore CORONA.

Salue sceptripotentium BE  
Augustissime Principum,  
Quem FRANCO tulit Ausonis  
Heroina QVIRINO.

Tu felicia maximi  
Gesta Regis, & inclytas  
Franci Martis adoreas  
Fortunate coronas.

Tu DELPHINVLE Gallici  
Fortunam tegis Imperi,  
Et regnum nitida tegis  
Immortale CORONA.

Tu BORBONIDA nobili  
CORONA decoras domum,  
Et ALBRETIA nomina,  
Et Fuxxa coronas.

Vnde & tergeminæ tibi  
Dum vitalia ducerent  
Parcæ stamina, triplicem  
Texuere CORONAM.

*CORONAE.*

Illa Francigenis tibi  
Nexam liliolis dedit:  
Hæc Nauarricolâ dedit  
Textam flore **CORONAM**.

Illa Cæsareâ caput  
Lauro vestijt, & sacram  
Augusti dedit ImperI  
Româ ferre **CORONAM**.

SIC ERIT. tabulis Deus  
Scripsit fata perennibus:  
Et cœlo parat vltimam  
Inter astra **CORONAM**.

ASSERTIONES

PHILOSOPHICÆ

In Collegio Tolosano  
Societatis IESV.

Publicè propositæ

A D

AVGVSTISSIMVM  
PRINCIPEM

H E N R I C I IIII.  
*CHRISTIANISSIMI REGIS*  
*Filiū, Viennensium*  
DELPHINVM.

TOLOSAE,

Ex Typographia VIDVÆ  
I. Colomerij, sub signo  
nominis IESV.

CENSIS 1600.

A S A E R T I O N E S

H E R I C O S O A R Y A

I n C o l l e g i o T r a f f i c o

S o c i e t a t i s I u m

P a p i l l o n B l o o d g a

V A C U U M I N H A M

B I L I N C I S I S I

E A S Y A T C A L O

H A M M A R I T U M H

T H I N N H I G H

D E S T R I C T

T O I O T A

T E X T U R E P R O F I L E

A D V I C E S I N C E R T

D E S T R I C T S

A V G V S T I S S I M O

P R I N C I P I

C H R I S T I A N I S S I M I R E G I S

H E N R I C I I V . F I L I O ,

V i e n n e s i u m D E L P H I N O .

C O L L E G I U M T O L O S A N V M

S o c i e t a t i s I E S V .

 *Empiternis  
beneuolen-  
tiæ vincu-  
lis in perpe-  
tuū obliga-  
ti a Christu[m]issimo Rege, pa-  
rente tuo ( P R I N C E P S )*

AUGUSTISSIME)

¶ ingenti mole beneficio-  
rum immortalium oppressi;  
feri profecto sumus, & mul-  
tò nequiores, quàm inpor-  
tuna superiorum temporum  
licentia, ¶ maledicentissi-  
morum hostium criminatio  
fingebat: nisi diuinam in pri-  
mis opem in hoc negotio, &  
præsentem Dei virtutem ag-  
noscimus; qui ut corda Prin-  
cipum cæterorum omnium,  
quasi frœno singularis proui-  
dentiæ moderatur; ita Regis  
animum facile diuinis vo-

luntatibus obsequenterem; oc-  
ulta vi tacitæ persuasionis  
Societati nostræ conciliauit: Et  
quod deinde proximum est,  
nisi omnibus obsequij, fidei,  
obseruantia, deuotionis offi-  
cijs, incredibili beneficiorum  
eius magnitudini responde-  
mus. Verum quia beneullen-  
tiam istam plane singularem,  
et) insignem Regis aduersum  
nos animi propensionem, tibi  
maxima ex parte acceptam  
ferimus, ideo totum hoc,  
quantum quantum est benefi-  
cij tibi debemus. Tu enim puer

is es qui exoriens continuo  
Societatem nostram publico  
puerorum, & iuuentutis bono  
natam, placido lumine vidisti,  
& tui adspectus suavitate  
parentis animum in armis  
educatum, atque continua bel-  
lorum tractatione duratum,  
neque inter tubarum clangen-  
tium sonitus, & triumpho-  
rum clamores, et popu. orum  
plausus, patrocinij nostri vo-  
ces exaudientem, nobis felici-  
ter placasti: atque ut in mun-  
do superiori rutilus et horri-  
bilis terris ille fulgor, quem

Martem appellamus, astro-  
rum mitiorum adspectu tem-  
peratur: Ita Mars Gallicus,  
belli fulmen, parens tuus  
suauissimi oris tui conspectu  
mitigatus, benignos regij be-  
nevolentiissimique fauoris ra-  
dios in nos effudit, et) So-  
dalitatem nostram in tene-  
bris, luctuque iacentem, in-  
solita salutaris amicitiae luce  
collustravit. Quare quicquid  
est nostri nominis in hoc Re-  
gno, tuum est. Tua est tota  
Societas hæc, quæ tuo tacentis  
patrocinio seruata viuit, atque

antea periculosisimā calum-  
niarum tempestate iactata,  
tum demum bene sperare cœ-  
pit, cum te primū adspexit:  
Et manifestò deprehendit, ad  
tuæ maiestatis ortum, non se-  
cus atque ad salutarem Ca-  
storum adspectum cecidisse vē-  
tas, fugisse nubes, et tumul-  
tuantes maledictorum atro-  
cium vandas posuisse. O feli-  
cem orbi Christiano, felicem  
Galliae, sed priuatim etiam fe-  
licem nobis eum diem, quo ap-  
paruisti primū, Et Solis  
Orientis instar, gaudium Chri-

stianæ genti , lucem Regno,  
salutem Ordini nostro , vi-  
tamque reddidisti ! Ita est ,  
**P R I N C E P S A V-**  
**G V S T I S S I M E ,** atque  
ut est , ita etiam ex animo  
agnoscimus ,  $\text{\textcircled{t}}$  tui omnes  
esse ,  $\text{\textcircled{t}}$  Societatem hanc mi-  
nimam , si per te licet , tam  
tuam esse volumus , quam  
quod **O P T I M O I V R E**  
tuum est . Permitte nobis hoc  
obsequium **C L E M E N-**  
**T I S S I M E R E X ,** at-  
que in hæredium filij tui ve-  
nire nos patere : neque nos

enim eripit seruitio tuo ista do-  
natio , sed addicit : atque tunc  
maxime speramus esse in po-  
testate tua, cum erimus in pe-  
culio filij. Permitte nobis igi-  
tur hoc obsequium , & pate-  
re ut ex veteri consuetudine  
conuersi ad Orientem Solem  
adoremus, & quod Elephan-  
tos , sapientissimum animal,  
maximeq; philosophum facere  
ferunt ; ortum sideris regij,  
Philosophici pulueris adspers-  
sione veneremur. Tu vero puer  
fortunatissime , salus Regni,  
spes Republicæ , sidus Augu-

stum, recipe nos in tui nomi-  
nis, regiaeque maiestatis clien-  
telam: atque hoc interim mu-  
nus, quod ex officio ferimus,  
admitte. Nam quod veteri-  
bus populis in more positum  
fuisse legimus, ut cum pri-  
mum mater-familias domui  
puerum peperisset, famuli cer-  
tatum omnes, ei dona de suo  
labore proponerent: Idem nos  
qui in hac Reip. tuæ familia  
eruitutem erudiendæ iuuen-  
tatis acerbissimam liberè ser-  
uimus, hodierna luce, ad-  
uersum te libenter usurpa-

mus, atque Sapientiae fructus  
amoenissimos, quos in hoc agro  
Collegij Tolosani, bienni cul-  
tura collegimus, tibi meritissi-  
mo destinamus. Dignitates  
eæ Philosophicæ sunt, quas  
adolescentes honestissimi, tuo  
seruitio egregiè deuoti, atque in  
tui Regni utilitatem strenue  
à nobis instituti, sub tui no-  
minis Augustæ dignitatis  
auspicio tuendas in publicam  
edunt, atque hac ingenij stu-  
diorumque suorum signifi-  
catione testatum omnibus es-  
se cupiunt, spem certainam esse

De phino Galliae non minus  
adolescentes Musicos ali-  
quando placituros, quam fe-  
runt Delphinibus marinis  
pueros olim, & Musicos ho-  
mines placuisse. VALE.



# THESES PHILOSOPHICÆ.

---

## EX LOGICA.

### I.

LOGICA, siue ea quæ  
præceptiones tradit  
accuratè disputandi,  
siue quæ rationem docet pro-  
babiliter differendi, in veris  
scientijs propriè numeratur: at-  
que adeo specie diuersa est à  
Dialectica facultate quæ dispu-  
tat ex arte: Hæc enim in re-  
bus omnibus occupatur; illa

verò duplex habet obiectum  
adæquatum ; alterum in cuius  
operatione , alterum in cuius  
contemplatione versatur.

II.

Enunciationes quæ de re-  
bus aliquando futuris , atque  
contingentibus concipiuntur,  
veritatem habent omnino de-  
terminatam , aut falsitatem.

Syllogismus est oratio in qua  
quibusdam antea positis , ali-  
quid ex eorum positione ne-  
cessariò sequitur. Demonstrati-  
o perfectus est syllogismus ,  
qui scientiam inducit in ani-  
mum.

III.

Est aliqua rerum naturalium  
sane multarum scientia , siue

## THESES

cognitio intellectus, vera, certa simul & evidens, atque ex proprijs rei caussis parta: neque enim eam ingenitam habemus à natura, sed improbo labore comparamus: quem infinēm tribus potissimum instrumentis utimur, Resolutione, Definitione, Demonstratione.

### III.

Quod scitur vniuersum esse oportet, atque reale, & præterea vnum. Nam ex obiectorum quæ sciuntur vnitate petenda est vnitas scientiarum. Sicientia tota non constituit vnicum genus, aut vnicam speciem habitus, cum vna sit tan-

tum

tum ex aggregatione multarum scientiarum. Scientiæ aliæ alijs subiectæ sunt, atquæ subalternæ.

## DE PRINCIPIIS RERVM NATURALIV M.

### I.

**R**E RVM naturalium , & Physicæ generationis principia neque sunt plura tribus, neq; pauciora: materia, forma, priuatio: quæ cūm neq; ex alijs, nec ex seipfis , vltro citroque fiant, omnia tamen ex ipsis fieri necessum est. In genitis permanent materia simul , & forma : priuatio verò quantumcūmque sit principium rerum

THESES

naturalium in fieri , non manet.

II.

Materia prima entium omnium imperfectissima , subiectum est primum ex quo fiunt omnia , & in quod ultimum omnia corrumpuntur. Illa quanta quanta demum est , tota est pura potentia , atque ab omni actu simpliciter destituta , neque tamen est nihil. Non habet coæuas dimensiones aliquas interminatas. Licet autem vulgo non possit existere solitaria , potest tamen diuina virtute.

III.

Forma substancialis pars altera compositi naturalis , non est universa eius essentia. Si animam ra-

tionalem excipias, non creatur, sed vi agentium naturalium educitur, & quasi extunditur è potentia materiæ, quî-cum totum essentiarium componit, reipsa distinctum à partibus: Totum enim significat nouam entitatem ex partium compositione consurgentem.

## III.

Natura principiū est, ut moveatur id in quo est, primò & per se, & non secundum accidens: cuiusmodi definitio non materiæ tantum conuenit, sed etiam formæ, totiq; compagno. Res naturales ab artificiosis maximè differunt, nec enim forma artificialis principium

THESES

est alicuius motus, neque diversa est a subiecto in quod imprimitur.

DE COMMVNIBVS  
affectionibus rerum natu-  
ralium.

I.

**Q**UANTITAS quæ reapse distinguitur à rebus quantis, rationem eam habet formallem, ut partes intrinsecus extendat, aliásque extra alias constituat. Male Zeno componi voluit ex indivisibilibus, cum apta sit ex partibus semper dividuis: quæ licet in quantitate sint actu, nullo tamen certo numero continentur, neque rea-

liter inter se distinguntur.

II.

Locus est superficies corporis continentis immobiliter. Quemadmodum autem non repugnat idem corpus pluribus in locis constitui , ita neque repugnantiam includit duo corpora in eodem simul spatio consistere. Vacuum si admitteretur , aliquis in eo fieri posset motus , neque is fieret in instanti.

III.

Tempus siue est duratio continua , atque successiva motus; siue numerus eiusdem , secundum prius atque posterius; nullam habet partem simul præ-

THESES

Sententiā, atque adeo pendet ab animo : neque tamen est ens rationis aliquod , sed reale , diuersum à motu. Temporis nulla prima pars est , nulla postrema , sed eius finis , & principium extrinsecā sunt atque negatiua.

III.

Motus qui est actus entis in potentia , prout in potentia successionem & continuatatem formaliter includit. Terminatur ad Substantiam, Quātitatem , & Vbi. ad cæteras Categorias non est motus : Eius vnitas specifica petitur à termino ad quem , numerica verò ab unitate mobilis , tem-

poris, & termini ad quem. Mobile dum mouetur semper occupat maius spatium.

DE MUNDO ET COELO.

I.

**M**undi plures esse potuerunt, unicus est tamen atque perfectus, qui neq; est æternus, neq; secundum eas partes quæ obnoxiae sunt corruptioni æternitatem obtinere potuit. Cæterum ut initium habuit, ita interibit aliquando : Neque tamen totus dissoluetur in nihilum.

II.

In mundo inferiori ex perpetua Elementorum mixtione,

THESES

noua subinde corpora continuò generantur , in quibus verè non permanent Elementorum formæ , siue perfectæ siue refractæ. Neque verò tantum manent qualitates eorum, sed virtus etiam substantialis formarum.

III.

Cœli quorum natura alia est ab Elementis , & corporibus mixtis , neque dissolui naturaliter , neque corrumpi possunt. Materiam habent suam specie differentem ab eâ quæ venit in compositionem corporum inferiorum. Neque vivunt , neque intelligentias habent pro formis. Hoc verum

est tamen Mentes esse quæ ut  
eis assistunt , ita motum eorum  
constant rationem cident.

## III.

Cœli perenniter influunt in  
hæc inferiora , non modo be-  
neficio lucis & motus , sed per  
qualitates occultas quas In-  
fluentias vocamus : neque ta-  
men propterea vana Astrolo-  
gorum natio , certò diuinare  
potest futuros effectus qui  
pendent ex libera voluntate.  
Stellæ cœli sunt partes densio-  
res , quæ excellens illud lumen  
quo lucent , ex Sole tanquam  
perenni fonte luminis hau-  
riunt.

THESES

DE ELEMENTIS.

I.

Quatuor omnino sunt Elementa, Ignis, Aer, Aqua, Terra. Quorum formæ neque sunt qualitates eorum motrices, neque alteratrices: Sed veræ substancialiæ, quæ nusquam intenduntur, aut remittuntur. Ea quamvis asymbola sint, mutantur tamen inuicem, atque alia ex alijs fiunt immediate.

II.

Quatuor sunt principes qualitates alteratrices Elementorum, calor, frigus, humiditas, siccitas, quæ ita inuicem

agunt & resistunt, yt calor,  
& frigus maximè valeant agen-  
do; humiditas & siccitas resi-  
stendo. Ut singulis Elementis  
duæ qualitates excellenter con-  
ueniunt, ita eæ quæ Elemen-  
torum symbolorum propriæ  
sunt, in eadē specie nume-  
rantur.

## III.

Qualitates Elementorum  
impultrices, specie diuersæ  
sunt quatuor, per essentiam di-  
stinctæ, quæ singulis Elementis  
singulæ conueniunt excellen-  
ter. Earum impulsu Elemen-  
ta feruntur in suas sedes, quas  
vbi primùm obtinent, tran-  
quillè cōsistunt; neque ulterius

## THESES

cientur , nisi vim aliquam ex-  
trinfecus patientur , aut impura-  
sint ex aliorum permixtione .  
Corpora grauia quæ naturali-  
ter mouentur , velocius inci-  
tantur in fine , quam principio  
motus .

### III.

Ignis supremam ætheris par-  
tem occupat , perfectè calidus  
atque siccus : neque vero ille  
alius est à nostro , quem con-  
tinuâ materiæ suggestione fo-  
uemus . Eadem proximus est  
Aer , idem quoque excellenter  
humidus & calidus . Aqua &  
frigida simul , & humida , longè  
minor est terrâ . Ista vero siccita-  
te pollet , & frigiditate . Aqua ex

propriâ naturæ inclinatione,  
non fertur immediate ad cen-  
trum mundi , sed in complexu  
terræ conquiescit.

## DE ORTV ET INTERITV.

## I.

**G**E N E R A T I O quæ trans-  
mutatio quædam est to-  
tius in totum , nullo sensibili  
permanente eodem , vt subie-  
cto , definit in substantiam. Et  
primò quidem atque per se ter-  
minatur in compositum, secun-  
dò vero etiam terminatur ad  
formam. Si momentanea est,  
neque subiectum habet ali-

quod, neque propriè est actio,  
sed origo quædam passiva rei  
genitæ. In corruptione pe-  
reunt accidentia rei quæ cor-  
rumpitur, & dissolutio fit ad  
primam usque materiam.

## IL

Quando manet idem sub-  
iectum, ita ut tamen secundum  
qualitates aliquam mutatio-  
nem patiatur, dicitur alterari:  
cuiusmodi alteratio, siue ad  
formam inspicias ad quam  
tenditur, siue in subiectum,  
non est motus discretus, sed  
planè continuus. Intenduntur  
qualitates accessione nouo-  
rum graduum, remittuntur  
decessu veterum.

## III.

Actio non est in agente,  
sed recipitur in passum: neque  
instituitur actio in rem distan-  
tem nisi prius agatur in me-  
dium: neque est actio in simile,  
nisi alterum aut densitate sub-  
iecti valeat, aut multitudine  
formæ: interdum etiam passum  
refundit actionem in agens: sic  
tamen ut pars minimè repassa,  
non agat in eam partem quæ  
repat itur.

## III.

Accretio, & decretio po-  
sitiui sunt motus specie dif-  
ferentes. Illa cum plurimos  
habeat motus sibi coniunctos,

## THESES

---

ab eis omnibus differt, atque ab ipsa etiam nutritione. Eius ratio sita est in acquisitione maioris quantitatis ut sic, quare etiam continuus est motus, atque successivus. Manet idem numero viuens quod antea fuit, non modo secundum formam, sed etiam aliqua ratione secundum materiam.

---

## DE ANIMA.

### I.

**A**NIMA, forma substantialis est, ( si rationalem excipias ) corporea, materialis, & obnoxia corruptioni. Vnica est vnius viuentis anima, quamquam foetus prius vegetantem,

---

deinde sentientem, tandem rationalem vitam viuat. In eodem viuente non sunt plures formæ substantiales, sed una tota plures partiales complectitur. II.

Suæ sunt animabus facultates, nō modo formaliter ab eis, sed etiam reapse distinctæ, quæ ab actionibus maximè, obiectisq; formalibus specificantur. Eæ si organicæ sunt in totū compositum, si spiritales & inorganicæ in animum solum recipiuntur. Illarum eadem est causa efficiēs quæ subiecti; quanquam ab anima tamen originem ducūt, atq; ab ea tanquā a principio, naturali consecutione resultant.

THESES

III.

Tres sunt principes vegetantis animæ facultates, quæ Nutritioni, Accretioni, Generationi seruiunt. Altricis plures sunt administræ, formaliter tantum, non etiam realiter inter se diuersæ. Alimentum esse oportet substantiam corpoream, mixtam, atque eius naturam, ut sit apta in substantiam viuentis, caloris naturalis opificio conuerti. IIII.

Obiectum sensus, ut percipiatur, oportet esse praesens, beneficio specierum, quas vocat intentionales: eae sic producuntur ab obiecto, ut intendi possint atque remitti. Anima rationalis spiritualis est atque a morte libera: tota totum

hominis corpus, atque eius partes singulas informat.

## EX METAPHYSICA.

## I.

**E**ns vnico tantū cōceptu intelligitur: atq; formalis quidē eius cōceptus re simul, & ratione præcisus est ab inferioribus: obiectiuus verò ratione dū-taxat distinguitur ab inferioribus, in quibus reperitur. Cæterū ens vt essentiā sonat de rebus planè omnibus dicitur essentia-liter, vt verò existentiā cōnotat, de solo Deo. II.

Ens quod neq; Deo, & creaturis; neque substantiæ & accidenti, conuenit vniuocè, sed tantum analogicè, non

## THESES

habet proprietates aut realiter,  
aut ex natura rei a se distinctas:  
neq; verò tamē eæ proprietates  
sunt entia rationis, sed ei verè  
realitérq; cōueniūt: eæ verò tres  
vulgò numerátur Vnū, Verum,  
Bonum.      III.

Principiū indiuiduationis, atq;  
singularitatis, neq; est collectio  
multorum accidentium; neque  
materia; non etiā ea quæ cōsi-  
gnata est; neq; existētia; sed mo-  
dus siue differētia individualis,  
quam scholæ vulgò *hæcceita-*  
*tem* appellant. Ea sola ratione  
distinguitur à natura.

## III.

Naturæ sunt aliquæ reales atq;  
communes, neque tamen ante

operationē intellectus sunt vniuersæ. Vniuersale illud est, quod ita vnu est, vt aptum sit etiā cōmunicari multis; cuiusmodi vnitatis & aptitudo vere nō sūt nisi beneficio mētis, quæ ut naturā cōmūnem intelligat, non eam modo à suis inferioribus præscindit, sed præterea vnitatē illā & aptitudinē eidem affingit.

## EX MORALI.

## I.

**O**MNIA circa finem aliquem bonumq; versantur. Finis autem is esse dicitur, qui mouet agens ad operandum, & cuius gratiā fit aliquid. Rationē habet veræ propriæque causæ. Mouet

## THESES

autem Metaphoricè , non aliquo verò realique motu , secundum illud suum ipsius esse reale quod habiturus est aliquando. Cæterum non homines modo , sed bruta etiam , atque adeo res inanimæ propter finem aliquem operantur.

### II.

Deus Opt. Max. finis vltimus est, bonūq; supremū, quo beatus sumus : non aliquid de numero eorū quę vulgò in bonis numeratur. In eius boni contuitione atq; contéplatione sita est animi nostri felicitas , sic tamen ut comitē habeat amorē , sine quo nec absoluta , nec perfecta esse potest hominis beatitudo.

## III.

Aetio humana ea solum est quam operamur, ut homines sumus; quæ siue necessariò fiat, siue sit libera, humana tamen est, dummodo fiat cum usu perfecto rationis, atque voluntatis. Voluntarium diuersum est à libero: atque illud quidem est quod fit ab intrinseco, cum cognitione finis: Istud præterea liberum requirit exercitium voluntatis.

## III.

Violentum est, quod fit ab extrinseco, passo nullam vim ad illud opus conferente. Violentia planè facit inuoluntarium, nō itē metus aut cōcupiscentia.

*THESES PHILOSOPH.*

vis autem inferri voluntati non  
potest in actibus elicitis; potest  
tamen in ijs quos vulgo vocant  
imperatos. Circumstantiae, acci-  
dentialia sunt actuum humano-  
rum, quæ diuersas etiam ali-  
quando constituunt species  
operationum.

